

eum, qui non sicut ipse, nec pari morum similitudine sacra concenaverat, docens bene, sancte, et prout Deum decebat, quod verus et cum virtute accessus ad sacra donet accedenti commutationem ad eum, qui est sibi similis. Quæ verba sic interpretatur Turrian., qui in scholio ad dictum locum Clementis hanc sententiam constanter defendit, quod Christus separaverit Judam, ne communionis corporis sui fieret particeps, quod eo non sancte, sed simulate, et fiete adfuerat cum illo ad comedendum sacra, id est paschalem agnum, qui sacramentum et sacrificium antiquæ legis erat. Et confirmat Turrianus hanc sententiam, quia Christus duplici signo manifestavit peccatum Judæ. Primo, quando illi interroganti: Numquid ego sum? Respondit: Tu dixisti. Secundo, quando dixit Joanni: Cui intinctum panem porrexero, etc.; ergo non est verisimile illo præsentate institutum fuisse hoc sacramentum, alias oportuisset illum a communione excludere, quia jam erat agnitus peccator. Hilarius aliam adducit confirmationem, quia Christus dixit discipulis: Bibite ex hoc omnes; non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei; sed nunquam postea cum Juda bibit; ergo nec tunc illi ad libandum dedit. Aliter explicat hanc sententiam Origen., Joan. 13; putat enim panem intinctum, quem Christus Judæ dedit, fuisse Eucharistiam; tamen Judam, illum non comedisse, sed accepisse tantum in manus, ibique reliquisse, ac subito discessisse. Secunda sententia dicit, Christum communicasse Judam, quando illi debet buccellam intinctam, Joan. 13, quam videtur indicasse Cyril., lib. 9 in Joan., c. 19, et August., lib. 5 de Bapt., c. 8.

3. Dicendum vero primo est, Christum Dominum instituisse hoc sacramentum præsentate Judæ, illumque cum aliis communicasse. Hæc est sententia D. Thom. et communis Scholasticorum dicta d. 44, et probari potest primo ex ordine narrationis Matth. et Marc. Dicunt enim discubuisse Christum cum duodecim; et cœnantibus illis, nimirum duodecim, accepisse panem et instituisse hoc sacramentum. Apertius tamen, vel (ut August. dicit) evidentissime hoc videtur dicere Lucas; cum enim dixisset, discubuisse Christum cum duodecim et consecrasset ac dedisset illis mysteria, subdit, inter præbendum sacramentum addidisse: Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa; erat ergo præsens Judas, et illa particula: Verumtamen, aperte indicat

hoc esse dictum in ipsa communicatione sacramenti, nam sensus perspicuus est. Trado vobis corpus et sanguinem, quamvis non ignoro, inter vos esse, qui me tradit. Unde Sancti advertunt, illa verba dicta esse a Christo, tum ad commendandam charitatem suam, tum ut emolliret cor Judæ, ut resipisceret et non indigne communicaret. Confirmari hoc potest, quia Judas adfuit, cum Christus dixit Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem; nam ordinatus fuit sacerdos et Episcopus, juxta illud: Episcopatum ejus accipiat alter, quod de Juda exponit Petrus Act. 1; ergo adfuit institutioni hujus sacramenti.

4. Probatur ex traditione. — Secundo probatur hæc sententia ex communi traditione et interpretatione Patrum; illam supponit Eugenius Papa dicens, Christum non removisse Judam a communione; idem docet Leo Papa, serm. 3 et 7 de Passione Domini; Augustin., tract. 6, 50 et 62 in Joan., et lib. 2 contra litteras Petilian., c. 22, et lib. 4 de Adulter. conjugis, c. 27, et lib. 5 de Bapt., c. 8; item in id Psalm. 40: Justus autem quid fecit? et habetur in c. Christus, 4, quæst. 4; idem etiam expresse epist. 163; Ambr., lib. de Apologia David, prope finem; Justinianus imperator in edicto fidei suæ ad Joannem II Pontificem, circa finem: Judas, inquit, cum putasset latere eum, qui occulta hominum cognoscit, sacramentis communicavit cum Apostolis. Hugo, 2 de Sacram., part. 8, c. 4; Rabanus, lib. 4 de Instit. cleric., c. 32, lib. 2, c. 36; Cypr., in serm. de Cœna Dom.; Beda, D. Thom. et alii, Joan. 13; Laurent. Just., lib. de Triumphali Christi agone, c. 5; Niceph., lib. 4 Hist., c. 30; Algerus, l. 4, c. 21, ubi conatur Hilarius interpretari, sed frustra. Ecclesia etiam canit in hymno: Turbæ fratrum duodena datum non ambigitur; et eadem est sententia Hieronym. qui falso in contrarium citatur, nam Marc. 14, circa illa verba: Biberunt ex eo omnes: Et Judas, inquit, bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis æterni, qui indigne sumit mysteria Christi; idem Ps. 54 (si illius sunt commentarii) circa illa verba: Qui dulces mecum capiebas cibos, illa exponens de Juda ait: Cibus dulcis est corpus Christi, quod ipse accepit indignus; idem docuit ex Græcis Orig., tract. 35 in Matt.; et Chrys., hom. 83 in Matt., et eleganter hom. 2 de Proditione Judæ; et Cyril., lib. 9 in Joan., c. 26. Eadem est sententia Dionys.; cum enim dicit: Qui secum sacra concenaverat,

non agnum figurativum, sed verum Christum intelligit, ut omnes Dionysii commentatores interpretantur, tum quia licet legalis cœna possit dici aliquo modo sacra, tamen quod præcipue et quasi per antonomasiam fuit sacrum in illa nocte, fuit Eucharistia; tum etiam quia postea non dicit separasse Judam a communione, sed a suo et suorum consortio, quando dixit: Quod facis, fac citius, ut nimirum ostenderet dignam Eucharistiæ sumpcionem perficere unitatem et conjunctionem cum Christo, e contrario vero qui indigne sumit, dignum esse, qui a Christi consortio et communione separetur.

5. Probatur ratione. — Tertio probat D. Thom. ratione hanc sententiam, quia non expediebat, ut Christus Judam peccatorem occultum sine accusatore et evidente probatione, ab aliorum communione separaret. Sed responderi potest, Christum vere non separasse a communione, sed prudenter expectasse, ut ipse discederet, antequam sacramentum distribuere, quod fieri potest, quia tunc non publicatur delictum occultum. Quæ responsio recte ostendit potuisse ita fieri; tamen ratio D. Thom. etiam ostendit hoc non fuisse necessarium, imo fuisse expediens in hac re gravissima dare exemplum Prælati Ecclesiæ, quomodo circa peccatores occultos se gerere debeant; potuit etiam expedire, ad significandum amorem suum erga peccatores, et singulariter erga Judam, quem beneficiis lucrari cupiebat.

6. Secunda conclusio. — Dico secundo, Christum non communicasse Judam, quando buccellam panis intinctam dedit; ita docuit Julius P. I, in suis decretis, cap. 7, et habetur in cap. Cum omne crimen, de Consec., dist. 2, et apud Ivonem, 2 part. decreti, cap. 12; Burchardum, lib. 5 decreti, cap. 1; idem docuit Concil. Brachar. III, cap. 4; Beda, D. Thom. et Laurent. Justin., locis citatis; et expresse Augustin., tract. 62 in Joan.; et constat, primo, ex illa simplici appellatione panis: Cui intinctum panem porrexero, quem Christus tunc non consecravit. Secundo, quia non decebat Christum intingere Eucharistiam; fuit ergo simplex buccella panis. Quo circa Cyrillus et Augustin. supra citati, qui contrarium interdum indicant, explicandi sunt, ut intelligant, vel paulo ante, Christum communicasse Judam, vel certe, quod per illum intinctum panem significata fuerit ficta ejus communio, ut Augustin. magis indicat, de cujus sententia satis ex aliis locis constat,

ut vidimus; Origenes vero, Joan. 13, licet contrarium proponat ut probabile, non tamen affirmare audet.

7. Conclusio. — Dico tertio (et concluditur ex dictis), Christum instituisse hoc sacramentum prius quam illum panem intinctum Judæ tribuisset, quod est contra Cæsarem Baronium, in illo anno 34 Annalium, ubi contrarium sentit, et probat ex quodam rituali libro Hebræorum, ubi dicitur, illam consuetudinem dandi panem intinctum fuisse cœrimoniam pertinentem ad ritum cœnæ legalis; sed, ut vidimus hoc sacramentum fuit institutum post finitam cœnam legalem: ergo. Sed hæc opinio, ut dixi, mihi displicet, quia est parum consentanea verbis Evangelii; dicit enim Joan., post buccellam illam acceptam, continuo Judam exivisse; non potuisset ergo adesse institutioni hujus sacramenti, si facta esset post buccellam illam traditam. Responderi potest, particulam, continue solum significare Judam non expectasse prolixam Christi concionem. Sed imprimis hoc est contra verbi proprietatem sine fundamento. Deinde est contra expositionem SS. Cyrilli, Chrysostomi, et Augustini, locis citatis, qui dicunt usque ad illam horam Christum sustinuisse Judam, et verbis ac factis procurasse, ut resipisceret; ex tunc vero, quia jam indigne communicaret, et semper magis obdurabatur, permissum esse a dæmone vehementius instigari, et ideo statim ad Christum tradendum exivisse. De qua re legi potest Chrysost., hom. 4 et 2 de Proditione Judæ; Cyrillus Hieros., Catech. 13; Augustin. in Psal. 10 et epist. 163; ille autem ritualis liber, quo fundatur Cæsar, apud me non est tantæ auctoritatis, ut illi fidem adhibeam, quamvis fieri potest, ut illa consuetudo, non solum in cœna legali, sed etiam in aliis observata fuerit.

8. Responsio ad argumenta primæ sententiæ. — Ad fundamenta contrariæ sententiæ, ad Patres ibi citatos respondetur, plures esse in contrarium; solum ille locus Clementis est difficilis; tamen vel ille locutus est ex propria opinione, et non ex antiqua aliqua traditione, vel certe ille locus non est omnino correctus, sicut de multis aliis illarum Constitutionum dicere necesse est. Ad conjecturam vero respondetur falsum esse assumptum, ut docet D. Thom. 2. 2, quæst. 33, art. 7, ad 2; et constat, primo quidem, quia utrumque illud signum proditoris datum est a Christo post institutam Eucharistiam, ut partim ex dictis

patet, partim ex dicendis dubio sequenti. Deinde, quia neutrum signum fuit publicum, neque ab omnibus discipulis intellectum. Nam verbum illud: *Qui intingit mecum manum in paropside*, commune fuit; multi enim intingebant; sicut paulo ante dixerat: *Qui manducat mecum panem*, etc.; et signum est, quia post illud verbum alii hæsitabant, et inquirebant: *Numquid ego sum?* et Petrus, ac Joannes, hoc ignorantes, curiose inquirebant; et ipsemet Judas, aut volens justificare se ipsum, aut motus conscientia interrogavit: *Numquid ego sum?* Cui Christus respondit: *Tu dixisti*; quod verbum vel solus ille audivit, quia post illud, adhuc Petrus, et Joannes ignorabant, vel certe solus intellexit. Nam illa dictio juxta phrasim Hebraicam non est affirmantis, sed suspendentis assensum, et intercedentis sermonem, ac si diceret: Satis est, tu videris; quod docuit Augustin., lib. 3 de Consensu Evangelistarum, cap. 4; et Euthym. in Mat., suo cap. 64; et habetur etiam apud Clementem, lib. 5 Constitut., cap. 15. Denique aliud verbum, *Cui intinctum panem porrexero*, soli Joanni supra pectus Christi recumbenti secreto dictum est, ut omnes exponunt. Potuit autem Christus uni, vel alteri manifestare peccatum Judæ, quamvis esset occultum, tum quia erat dominus famæ ejus, ut Deus; tum etiam quia poterat id esse utile ad fidei confirmationem, et suæ divinitatis, ac charitatis manifestationem. Noluit vero manifestare omnibus, sed in hoc famæ Judæ prospicere, licet ejus peccatum paulo post esset omnibus manifestandum, quia quoad hoc voluit Christus se gerere tantum ut homo, et suo facto exemplum nobis præbere; homines autem non debent operari juxta futuros eventus, sed juxta præsentem rerum statum. Ad confirmationem Hilarii facilis est solutio. Respondetur enim ad veritatem et proprietatem illius locutionis (*Donec vobiscum illud bibam novum in regno Patris mei*) sufficere, ut de omnibus, quibuscum Christus cœnaverat, et ad quos Christus loquebatur, uno solum excepto Juda, verificetur.

SECTIO IV.

An hoc sacramentum sit institutum ante, vel post cœnam, ac denique qua hora institutum fuerit.

1. *Prima sententia auctore carens.* — In hac questione possunt esse sex modi dicendi: primus quod fuerit institutum ante

inchoatam cœnam legalem; sed, ut existimo, hic modus a nemine asseritur; et est omnino improbabilis, ut late probat Jansenius, cap. 130, et ex dicendis a fortiori patebit.

2. *Secunda sententia.* — Secundus modus esse potest, ut institutio hæc facta fuerit, inchoata cœna legali, nondum autem finita. Quam sententiam videtur sequi Jansenius supra, et videtur fundatus in hoc, quod non distinguit cœnam usualem a legali, et necessarium existimavit asserere, ante finitam aliquam cœnam, institutum fuisse hoc sacramentum, in quo recte asseruit, ut videbimus. Tamen ejus fundamentum falsum est. Unde ejus opinio etiam mihi non videtur probabilis. Certum enim existimo, jam fuisse legalem cœnam finitam, quando sacramenti hujus institutio facta est. Quod primo sequitur necessario ex dictis; diximus enim lotionem pedum fuisse post finitam cœnam illam, et institutionem sacramenti post lotionem pedum fuisse effectam: ergo. Secundo argumentum supra assumptum ex illo verbo (*Et comedetis, festinantes*) etiam probat cœnam legalem non debuisse interrumpi ob institutionem hujus sacramenti. Tertio videtur hæc esse sententia Concil. Trident., sess. 22, cap. 4, dicentis: *Celebrato veteri Paschate, novum instituit.* Et Urbani Papæ, Clem. I, de Reliquiis et ven. Sanct.: *Sumpta, inquit, cœna, etc.*; est etiam expressa sententia Augustin., epist. 118, et habetur in cap. Liquido, de Consecr., dist. 2. Denique universa Ecclesia canit: *Post agnum typicum, expletis epulis, corpus Dominicum datum discipulis.* Et sequenti dubio referam plures Patres asserentes decuisse, celebrata umbra, transire ad veritatem.

3. Tertius modus dicendi est, Christum non eodem tempore utramque speciem instituisse, sed speciem panis inter cœnandum legali cœna, speciem autem vini post finitam omnino cœnam, multis interpositis aliis rebus, vel actionibus. Hanc dicendi rationem tenet Joannes a Lovanio, lib. de Communionem sub utraque specie, et illum secutus est Bellarmin., lib. 4 de Eucharistia, cap. 27, ad 2, et potest fundari, quia de consecratione panis dicunt Matth. et Marcus: *Cœnantibus autem illis accepit Jesus panem, etc.*; de consecratione autem calicis ait Lucas, cap. 22, et Paul., 1 Cor. 11: *Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens.* Sed neque hic dicendi modus mihi probatur. Primum enim illa verba Ecclesiæ: *Post agnum typicum, expletis*

epulis, corpus Dominicum datum discipulis, aperte loquuntur de sacramento, quoad speciem panis; alia vero testimonia citata absolute de toto sacramento loquuntur; et similiter, quæ referemus sectione sequenti. Præterea rationes factæ contra præcedentem sententiam contra hanc non minus urgent. Item sine sufficienti fundamento fingit hoc mysterium non fuisse institutum per modum unius integri sacrificii et signi; nam si prius consecratum est corpus, et consumptum, postea vero actiones aliæ interpositæ sunt, et finita cœna, consecuta est calicis consecratio, certe non fuit per modum unius factum totum mysterium, nec modo apto ad componendum unum signum. Denique fundamentum ex Scriptura sacra nullum est. Nam Matth. et Marcus, tam de consecratione calicis, quam corporis dicunt: *Cœnantibus autem illis*; et Lucas post consecrationem calicis ait, dixisse Christum: *Verumtamen manus tradentis me, mecum est in mensa*, et omnes referunt utramque consecrationem per modum unius actionis continuæ. Igitur, quod Paul. ait (*Similiter et calicem, postquam cœnavit*) de toto mysterio intelligendum est, ita ut illud adverbium, *similiter*, ad totum hoc referatur, quod sicut panem post cœnam, scilicet legalem, consecraverat, ita fecit et calicem. Quomodo autem illa duo conciliantur, *Cœnantibus illis, et, Postquam cœnavit*, facile ex dictis patere potest. Nam hoc posterius dictum est, propter legalem cœnam; prius vero propter usualem, vel quia utraque per modum unius consideratur, ut in fine sectionis dicam.

4. *Quarta sententia.* — *Refutatur.* — Quartus modus est, hoc sacramentum fuisse institutum finita omni cœna materiali, seu corporali. Ita sentit Claudius de Sainctes, repetit. 4, cap. 7, et repetit. 6, cap. 4; et Cæsar Baronius supra, et fundari etiam videntur, quia non distinguunt cœnam legalem ab usualem. Quod si objicias verbum illud, *cœnantibus autem illis*, respondere poterunt, illud verbum esse exponendum, id est, statim finita cœna, et recumbentibus adhuc, ita ut per modum unius cœnæ id totum factum fuerit. Sed hæc sententia mihi non probatur. Nam primo falso nititur fundamento, ut visum est; deinde ex dictis convinci potest; ostendimus enim, Christum instituisse hoc sacramentum antequam Judas discederet, et antequam illi intinctum panem daret; ergo post institutionem adhuc durabat cœna, quan-

doquidem potuit Christus illud signum præbere. Ergo non est facta institutio post finitam omnem cœnam.

5. Quintus modus dicendi est, hoc sacramentum fuisse institutum inter cœnandum usualem cœna, illa videlicet inchoata et nondum finita. Quæ sententia in primis habet fundamentum in verbo: *Cœnantibus autem illis*; quod si potest cum omni proprietate intelligi, non est enervandum. Quibus verbis addi possunt illa, quæ scribit Lucas: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*, quæ verba indicant Christum actu fuisse in cœna, quando hoc sacramentum dabat discipulis. Videtur etiam favere D. Augustin., lib. 3 de Consensu Evangelistarum, cap. 4, ubi dicit verba illa: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, et illa: Qui intingit mecum manum in paropside*, dicta esse post lotionem pedum; unde fit, dicta esse inter cœnandum cœna usualem; et tamen subdit dicta esse ante institutionem Eucharistiæ; ergo hæc facta est, inchoata jam cœna usualem. Et hæc sententia est valde probabilis, nihilque video, quod ex Scriptura sacra, vel Patribus contra illam objici possit. Nihilominus mihi difficile creditu est, Christum Dominum instituisse tantum sacramentum inter vulgares et communes epulas. Videtur enim hoc esse præter reverentiam debitam tanto sacramento; neque apparet ulla ratio litteralis, aut moralis, propter quam ita fieri debuerit.

6. *Eucharistia, finita legali, et nondum incepta cœna usualem, fuit instituta.* — Sextus ergo dicendi modus est Christum Dominum, finita cœna legali, lavisse, ut diximus, pedes discipulorum; et ea actione absoluta, iterum recubuisse cum discipulis, et dixisse illa gravissima verba: *Scitis, quid fecerim vobis, etc.*, usque ad illa: *Exemplum dedi vobis*; vel, ut Augustin. supra vult, usque ad illud: *Unus ex vobis tradet me*; et fortasse tunc interposuit alia verba, quæ sunt apud Lucam: *Desiderium desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Potest enim illud, pascha, non solum agnum paschalem, sed etiam paschale tempus, vel certe ipsam Eucharistiam, quæ per illum agnum adumbrabatur, significare, ut exponunt Chrysost., homil. 83 in Matth.; Hierony., Matth. 26; Eusebius, in Catena D. Thom. ibi; et Tertull., lib. 4 contra Marcionem, cap. 40. Denique non est incredibile in eodem temporis articulo, Christum discipulos de futuris

mysteriis instruxisse; eosque ad eorum communionem præparasse, et statim instituisse hoc sacramentum, et discipulis dedisse. Quæ sententia non aliter confirmatur, nisi quia et cum iis, quæ Evangelistæ narrant, accommodari potest, et aliunde convenientissimo ordine omnia connectit. Nam primum omnium a legali cæna inchoatum est, ut legis præceptum ante alia servaretur, et figura veritatem præcederet, quæ proxime statim sequi debuit. Interposita vero fuit lotio pedum, ut, quanta reverentia futurum sacramentum recipiendum esset, significaretur, et ut sacramentorum diversitas magis innotesceret; postea vero expletis mysteriis, ad communem cœnam ventum est. Quam sententiam indicat Damasc., lib. 4 de Fide, cap. 44, et juxta illam recte intelligitur illud, *cœnantibus autem illis*, vel quia inter unam, et alteram cœnam, quam totam Evangelistæ per modum unius recensent, hoc mysterium peractum est; vel certe, quia recumbentibus jam illis ad cœnandum, et mensa jam instructa, et parata, ab hoc mysterio inchoatum est. Propter quod recte potuit dicere Christus: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*. Fateor tamen, Augustinum citato loco non satis distinguere inter cœnam usualem et legalem; suppositis tamen, quæ diximus, non est necesse verba illa, quibus Christus suum proditorem prædicebat, dicta esse ante vel post lotionem pedum, aut institutionem Eucharistiæ, quia partim dici poterunt in cœna legali, partim in usuale, et partim in initio, partim in fine illius noctis, ut facile est ex Evangelistis colligere, et ex iis, quæ tractat Jans., cap. 130 et 131.

7. *Eucharistia est instituta prima vel secunda hora noctis.* — Ex quibus omnibus tandem colligitur, quo tempore et hora institutum sit hoc sacramentum. Claudius enim supra opinatur, post multam noctem, seu in profundo, aut medio illius institutum esse. Ego vero existimo in principio noctis post transactam unam, vel, ad summum, duas horas post solis occasum esse institutum. Dicitur enim Deut. 26: *Immolabis Phase vespere ad solis occasum*; Evangelistæ autem dicunt, Christum accessisse ad immolandum pascha cum facta esset hora, utique a lege præscripta. Decebat enim Dominum in lege exequenda se diligentissimum ostendere. Cœna autem legalis, et lotio pedum, ad summum, per duas horas durare potuerunt et statim secuta est institutio Eucharistiæ: ergo. Et

addi potest conjectura ex Evangelio. Primo, quia Joannes notat, quando Judas exivit, fuisse jam noctem, quod notari solet in principio noctis, non in medio. Deinde post illius exitum, Christus habuit longam concionem, et postea ivit in hortum, et proluxe oravit, deinde vero comprehensus est et ab uno ad alium Pontificem ductus et examinatus, et nihilominus postea superfuit magna pars noctis, in qua contumeliis affectus est a ministris diem expectantibus, ut illum ante Pilatum sisterent. Ergo signum est, instituisse Eucharistiam in initio noctis, ut diximus.

SECTIO V.

Utrum convenienti tempore institutum sit hoc sacramentum.

1. *Non oportuit Eucharistiam institui ante incarnationem.* — Quamvis ex instituentis auctoritate satis constet, opportunissimo tempore fecisse omnia mysteria, quæ operatus est, ut tamen ejus rei rationem aliquam explicemus, declarandum est, quam ob causam non ante incarnationem, neque ante tempus passioni proximum, sicut baptismus, neque post passionem et resurrectionem, sicut penitentia, fuerit hoc sacramentum institutum. Principio igitur non oportuit ante incarnationem institui. Primo, quia antiqua sacramenta significare debuerunt Christum, ut futurum, non ut præsentem; hoc autem sacramentum non solum significat præsentem Christum, sed etiam continet. Secundo, hoc sacramentum est efficacissima causa, et veluti uberrimus fons gratiæ et charitatis; abundantia autem gratiæ legi gratiæ reservari debuit. Tertio, est certissimum pignus gloriæ, cujus janua nondum erat hominibus patefacta. Quarto, quia non fuit conveniens, ut Christi corpus, prius quam modo connaturali existeret, sub hoc sacramento constitueretur. Ac denique mysterium hoc incarnationis mysterium supponit; imo ut Chrysost. sæpe indicat, est veluti quoddam illius complementum, quia cum incarnationis beneficium in sola una humanitate perfectum sit, per hoc sacramentum ineffabili quodam modo aliis hominibus communicatur. Quocirca rationes omnes, quæ afferri solent, supra quæst. 4, art. 4 et 5, propter quas conveniens fuit, mysterium incarnationis post longa tempora fieri in ultima mundi ætate, eadem præsentis mysterio applicari possunt, scilicet, quia non

erant homines antea dispositi ad suscipiendum tantum beneficium, et quia oportuit mysterium adeo difficile per multa tempora prius prædici, et variis figuris adumbrari, quas articulo sequenti videbimus. Sed quæri solet hoc loco, an potuerit hoc sacramentum ante incarnationem institui. Sed circa hoc, quæ necessaria hoc loco visa sunt, notavimus in Commentario art. 5; cætera adjiciemus.

2. *Oportuit Eucharistiam institui ante passionem.* — Dico secundo, oportuisse hoc sacramentum institui ante passionem. Primo, quia decuit, ut Christus Dominus maximum amoris signum, adhuc in mortali corpore existens, nobis exhiberet, juxta illud: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, sicut etiam eodem tempore præbuit maximum humilitatis exemplum, discipulorum pedes lavando. Secundo, ut ipsamet institutio et oblatio sacrificii incruenti esset meritoria, et satisfactoria, et pretium nostræ redemptionis; hoc enim non habuisset, si post resurrectionem, quando jam non erat Christus in statu merendi, vel satisfaciendi, institueretur. Tertio, quia decuit, ut memoriale mortis suæ ante eandem mortem nobis relinqueret. Dices: imo, cum sit memoriale passionis jam peractæ, non videtur potuisse institui ante passionem, alias falsum significasset. Respondetur, significationem hujus sacramenti ab initio institutionis ejus relatam esse ad illud tempus, in quo passio futura erat, et ideo non fuisse falsam; sicut etiam baptismus, licet ante passionem fuerit institutus, passionem tamen Christi repræsentat.

3. *Conveniens etiam fuit illam institui in passionis ingressu et non antea.* — Dico tertio, opportunissime fuisse hoc sacramentum institutum in ipso passionis ingressu, et non antea. Hujus conclusionis varias rationes affert hic D. Thom., et alii Theologi in 4, d. 8, et breviter declaratur. Primo, quia decuit, ut in ipso discessu præcipuum signum traderet, ac memoriale suæ dilectionis; et imminente passione, memoriale illius nobis relinqueret, ut eo tempore altius cordibus infingeretur. Secundo, ut morè amantissimi patris in fine vitæ pretiosiores hæreditatem filii relinqueret, eamque maxime commendaret, tanquam rem sibi charissimam. Tertio, decuit invisibiliter hominibus dari tunc, quando visibiliter ab eis recedebat. Quarto, decuit fieri post unam legalem cœnam, ut ex sacramentorum institutione, novi sacramenti excellentia magis

notesceret; et ut tunc inciperet maxime novi sacramenti virtus, quando legalia cessabant. Hæ rationes desumptæ sunt ex Chrysost., hom. 83 in Matth., et 28 in 4 ad Cor.; Hieron., Matth. 26; August., ep. 118 ad Januarium; Cyprian., serm. de Cœna Domini. Ultimo accedit litteralis ratio, quia, licet Christus instituerit hoc sacramentum ante passionem, tamen revera noluit, Ecclesiam uti illo, donec ipse esset glorificatus, quia ita decebat majestatem tanti sacramenti, et ideo oportuit, institutionem illius proxime fieri ante passionem.

4. Posset hoc loco curiose inquiri, an, si Adam non peccasset, instituturus esset Christus hoc sacramentum. Supponendum mysterium incarnationis fuisse futurum, etiamsi homines in statu innocentie perseverassent. Nam si contraria sententia defendatur, nullus locus relinquitur præsentis quæstioni, ut constat. Sed in re incerta, et non admodum utili, et ab aliis non disputata, immorari nolo. Unus enim quisque poterit facile ex dictis supra de mysterio incarnationis, in proposito dubio proportionaliter ratiocinari. Certum est enim, non fuisse tunc futurum hoc sacramentum, vel sacrificium in signum seu memoriale passionis Christi, quia tunc Christus non esset passibilis. Deinde ex iis, quæ in simili quæstione de incarnatione diximus, constare potest, juxta modum prædestinationis, quem de facto Deus habuit, nullum habuisse decretum circa hoc mysterium, ex quo sequatur, illud fuisse futurum, si homo non peccasset, neque ad hoc asserendum potest ex Scriptura sacra et Patribus fundamentum sumi. An vero, non existente peccato, habiturus esset Deus tale decretum, res est incerta, quæ adductis conjecturis in utramque partem posset disputari. Non est autem improbabile, Deum non fuisse prætermisurum tantum tamque admirabile mysterium, in quo post incarnationis opus, ejus omnipotentia, et reliqua attributa maxime relucent, etiam si homines non indigerent remedio contra peccatum; præsertim cum hoc sacramentum per se primo non ordinetur ad tollendum peccatum, sed ad contrahendum majus charitatis vinculum, et quasi ad communicandum cum cæteris hominibus altissimum incarnationis beneficium per summam quamdam participationem, ut Chrysost. inquit; et probari hoc posset, primo, quia per hoc sacramentum ipsa humanitas Verbo conjuncta realiter conjungitur suo modo cæteris hominibus; hoc autem est